



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manvale Exercitiorvm Spiritvalivm

Capilla, Andrés de

Coloniae, 1607

Quando Iudibrio habemur. Exercitium 13

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53232](#)

uimus, omni potius contemplatione &
despectu digni sumus.

Petitio.

O Btestabimur Dominum, vt non
patiatur nos cor nostrum in hono-
ribus huius mundi figere, ne posside-
atur ab eis; sed faciat, vt spretis illis ac
pro nihilo habitis, verum & solidum
honorem, qui in hoc solo consistit,
vt maiestati eius famulemūr ac place-
amus, amplectamur.

Oblatio.

O fferemus Domino honorē, quo
afficimur, agnoscentes illi soli, o-
mnem deberi gloriam & honorem,
qui est omne bonum.

Quando ludibrio habemur.

Exercitium 13.

Psalm. 68. *Quoniam propter te sustinui op-
probrium, operuit confusio faciem mēam.*

Isai. 51. *Nolite timere opprobrium homi-
num, & contumelias eorum ne metuatis.*

Psal. 118. *Aufer à me opprobrium & con-
temptum, quia testimonia tua exquisiui.*

Psalm. 21. *Ego autem sum vermis & non
homo, opprobrium hominum & abiectionis*

bb s plebis,

*plebis, omnes videntes me deriserunt me.
Consideratio.*

Considerabimus Christum Domi-
num nostrum, quamuis esset glo-
ria Angelorum cui immensus honor
debebatur, tempore passionis suæ lu-
dibrio habitum & contumelijs affe-
ctum fuisse.

Gratiarum actio.

Gratias referemus ei, pro occasio-
ne quam nobis exhibet, ut aliquid
illius gratia perpeti possimus : nec
non quia placuit ei nos vestire suis
insignibus, suumq; calicem potandum
nobis præbere.

Confusio.

Verecundia replebimur, perpen-
dentes, iustè nos commeritos es-
se omnem hanc irrisiōnē, & quam-
libet aliam quæ nobis ab hominibus
irrogari possit: quandoquidem ante
multis sçpe facinoribus Deum offen-
dimus.

Petitio.

ORabitur Deum. ut nobis tribu-
at gra-

at gratiam tranquillo & patienti animo hoc ludibriam tolerandi, simulque supplicabimus, pro eo qui nos eo ludibrio afficit, ut si hoc factio Dei indignationem incurrit, huius criminis agnitionem pariter & veniam ei clementer clargiatur.

Oblatio.

OFFeremus nos Domino, ad huic
& cuiusuis alterius irrisioneis & contumeliae, per quam gratum ei obsequium præstare possimus, hilarem perpessionem, eamque innumeris illis ludibrijs & irrisioneibus quæ ipse nostri caussa dum in hoc mundo versatur placide sustinuit coniungemus.

Quando laudamur

Exercitium. 14.

Luc. 1. Magnificat anima mea Dominum & exultauit spiritus mens in Deo salvatori meo.

*Psalm. 35. Benedicam Dominum in omni
tempore.*